



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 1308/18/I


DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, Exc.mo ac Rev.mo Patri Domino Franco Mariae Iosepho Agnesi, Vicario Generali Archiepiscopi Metropolitae Mediolanensis, vel de eius consensu alii praelato episcopali dignitate insignito, benigne concedit ut, in Iubilaeo S. Ritae Paroeciae, die pro fidelium utilitate eligendo, post litatum divinum Sacrificium, impertiat omnibus christifidelibus adstantibus qui, vere paenitentes atque caritate compulsi, iisdem interfuerint sacris, **papalem Benedictionem** cum adnexa *plenaria Indulgentia*, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et Orationem ad mentem Summi Pontificis) lucranda.

Christifideles qui **papalem Benedictionem** devote acceperint, etsi, rationabili circumstantia, sacris ritibus physice non adfuerint, dummodo ritus ipsos, dum peraguntur, ope instrumenti televisifici vel radio-phonici propagatos pia mentis intentione secuti fuerint, *plenariam Indulgentiam*, ad normam iuris, consequi valebunt.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die XXVII mensis Novembris, anno Domini MMXVIII.


MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiarius Maior


CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 1307/18/I

BEATISSIME PATER,

Francus Maria Iosephus Agnesi, Vicarius Generalis Archiepiscopi Metropolitae Mediolanensis, reverenter exponit: a die XVI proximi mensis Decembris usque ad diem XVII Decembris MMXIX, Sanctae Ritae Paroecia de Mediolano, LXXX anniversarium ex quo primarius eiusdem ecclesiae lapis positus est necnon LX a canonica erectione commemorabit.

Ad debitas Deo gratias reddendas, ob insigne beneficium incolis praestitum conditae paroeciae, in qua nimirum mysteria supernaturalis salutis humanae peraguntur, oportet ut christifideles, illis anniversariis diebus, operibus pietatis, paenitentiae et misericordiae tempestive praeparentur. Optatissimus vero finis horum celebrationum, Fidei scilicet, Spei et Caritatis virtutum incrementum, sese in moribus ad Evangelii leges conformatis manifestantium, profecto facilius attingetur si christifideles per Indulgentias adiuventur ad delenda in se etiam illa consecraria peccati, quae per temporales poenas sunt expianda.

Quare Exc.mus Orator hoc mirabile donum a Sanctitate Tua fiducialiter imporat.

Et Deus, etc.


Die XXVII Novembris MMXVIII


PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de mandato Summi Pontificis, *plenariam* libenter concedit *Indulgentiam*, suetis condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis) rite adimpletis, a christifidelibus vere paenitentibus ad instar Iubilaei lucranda, dummodo paroecialem Sanctae Ritae ecclesiam de Mediolano inviserint et ibi iubilare celebrationibus devote interfuerint, vel saltem per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei atque invocationibus Beatae Mariae Virginis et Sanctae Ritae.

Paroeciae fideles, senectute, morbo vel gravi alia causa impediti, pariter *plenariam* consequi valebunt *Indulgentiam* si, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, anniversariis functionibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis, vel incommodis propriae vitae, misericordiam Deo per Mariam SS.mam oblati.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut Patres ex Ordine Fratrum Sancti Augustini, quibus Paroecia concredita est, in iubilari templo prompto et generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebeant ac S. Communionem infirmis saepe ministrent.

Praesenti per paroeciale Iubilaeum valituro. Contrariis quibuslibet non obstantibus.


MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiarius Maior


CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens